

1572

dubitationem non exemit, sed callidum Gallorum ingenium perhorrescens, miro artificio editum, quo a Belgio arcebantur, pronuntiatur suspicabatur: Carolum specie vetare, re, quo se domesticis malis levaret, conniventem, aditum permittere. Itaque non minui ob id, verum augeri copias curat. Ea quoque suspicio Italiam pervadit, cum & in subalpinis Gallorum praesidia, & in Insubribus milites augerentur. Memoriae prodiderunt nonnulli scriptores, proceres quidem multos Hispanis infensos, praesertim eos, qui ab avita religione discesserant, quo bellum transferrent in Belgium, nihil non molitos; Carolum tamen de hoc serio nunquam cogitasse, spem tantum aliquam fecisse, necnon ostentasse, ut consultandi sub specie, quos impense oderat, caedique destinaret, jam pridem in aulam pelliceret. Conjecturam hanc firmant, quae secuta sunt postea. Nam Colinius cum multis aliis in fraudem impulsus, quod crederet accersitum se consulto a Rege, ut de ratione belli gerendi coram ipso discereret, primo per ficarium petitus, occultis insidiis, deinde, postquam insidiae non processerant, aperta vi oppressus, ingentem secum sociorum stragem & ruinam traxit; quod quidem ix. kal. septembris, divi Bartholomaei festa die contigit.

Dum mutuis hinc atque inde ambiguisque curis Regum animi versantur, Ludovicus Comes Nassovius, Arausionensis Principis frater, Belgio exul, Valentianam ac Montium, in Morinis oppida, occupat. Inde haud parum Philippus est perturbatus, quod nihil, nisi Caroli impulsu, nedum permissu factum arbitraretur. Albanus quoque, in Hispaniam, Romam, ac Mediolanum datis literis, cunctorum animos belli suspicionibus a Gallo imminentibus replet. Ea re Galliarum quoque Rex commotus, ac, ne Hispana classis in Provinciae litora invaderet, veritus, Massiliam, majori militum praesidio imposito, exactius communit; cum Pontifice, ac Venetis, Philippo etiam ipso mirum in modum conqueritur: *Falso bellum ab se in Hispanos moliri iactatum: si qui Nassovio Galli adhaesissent, perduelles, ac nequaquam sibi obtemperantes esse. An ipse in aliorum ditionibus seditiones foveat? populos in Principes commoveat; qui eadem tabe in proprio regno corripiatur? an cuiquam in augenda, atque ornanda*

repu-

Ludovicus
Nassovius
Valentianam
& Montium
occupat.